



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

79. Pauli V. Pont. Max. Bulla data, Anno MDCXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

Pauli V. Pontificis Max. Bulla Data Anno MDCXI.

PAVLVS PP. V.

AD perpetuam rei memoriam, ad ea, quibus Monasteriorum quorumlibet præsertim nobis & Apostolicæ Sedi immediatè subiectorum Iura confirmantur, libenter intendimus, eaque fauoribus prosequimur opportunis: Expositum siquidem nobis nuper fuit pro parte dilectorum filiorum, Abbatis & Monachorum Monasterij S. Maximini ordinis S. Benedicti prope & extra muros Ciuitatis Treuirensis, nobis, & Apostolicæ Sedi immediatè subiecti, quod ipsi eorumque Monasterium ultra Iuris, & sacrorum conciliorum & Apostolicarum constitutionum vigore sibi concessam immunitatem exemptionis, à solutione onerum & contributionum sibi à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, nec non Imperatoribus Romanis concessis gaudent priuilegijs, quæ pro eorum firmiori subsistentia Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiti plurimum desiderant. Quare pro parte superiorum, & Monachorum prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, vt in præmissis opportunè confirmationis nostræ gratiam impertiri de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos honestæ huiusmodi petitionis æquitate attendentes, & Abbati ac Monachis prædictis specialem gratiam facere volentes, illosque & eorum singulos, à quibusuis excommunicationis, suspensionis & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris & pœnis à Iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis (si quibus quomodolibet innodati existunt) ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia & singula priuilegia, immunitates, libertates, & exemptiones à solutione onerum, & quarumcunque contributionum prædictorum eidem Monasterio, eiusque Abbati pro tempore existenti ac prædictis, eorum seruentibus, colonis, Monasterijs, domibus, grangijs, locis, terris ac bonis quibuscumque, per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Imperatores & Principes concessa (dummodo tamen quoad Imperatorum & Principum priuilegia huiusmodi licita sint ac honesta, ac sacris Canonibus, Concilio Tridentino & Constitutionibus Apostolicis non contraria) Apostolicâ autoritate, tenore præsentium perpetuò confirmamus & approbamus, ac confirmata & approbata esse & ceteri volumus & declaramus: Decernentes idem Monasterium, illiusque pro tempore existentem Abbatem & superiores ac Monachos vbicunque & quancunque opus fuerit, priuilegijs & exemptionibus prædictis vti & gaudere liberè & licitè posse & valere, irritumque & inane, si secus super his à quoquam quauis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo piscatoris, die quinta Octobris 1611. Pontificatus nostri Anno septimo.